

## Werk

**Titel:** Der Gesellschaft Naturforschender Freunde zu Berlin Magazin für die neuesten Entd

**Verlag:** Realschulbuchhandlung

**Jahr:** 1816

**Kollektion:** Zoologica

**Digitalisiert:** Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

**Werk Id:** PPN608227714\_0007

**PURL:** [http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN608227714\\_0007](http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN608227714_0007)

**LOG Id:** LOG\_0012

**LOG Titel:** III. Observationes in Ordines plantarum naturales.

**LOG Typ:** article

## Übergeordnetes Werk

**Werk Id:** PPN608227714

**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN608227714>

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
Georg-August-Universität Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen  
Germany  
Email: [gdz@sub.uni-goettingen.de](mailto:gdz@sub.uni-goettingen.de)

III.

Observationes in Ordines plantarum naturales.

Dissert. secunda, sistens nuperas de Mucedinum et Gastromycorum ordinibus observationes.

anl. Henr. Frid. Link, Professore Vratislaviense.

Tab. I. Fig. 1 — 6.

In prima dissertatione, quae in hujus promptuarii tomo tertio prodiit, plantas, quae Fungorum nomine veniunt, nova methodo dispositas exhibui. Nunc vere tot accessere observationes, ut ordinum ac generum characteres emendatos, iis, qui hasce plantulas non spernunt, proponere possim.

Plantas imperfectas, Fungos, Algas, Lichenesque auctorum, Anandramum nomine complexus sum, quia staminibus aut partibus generationis masculis carere videntur. At res extricatu difficillima est, fortasse et in hisce plantulis partes masculis analogae occurrunt, fortassis et in Muscis, Filicibusque desunt. Mallem itaque potius radicis defectu distinguere et *Arhizas* vocare, nam ea pars, quae in Fungis, Lichenibus et Algis radix vocatur, nil est nisi apophysis plantae solo infixa, cum in caeteris plantis radix structura sua valde discrepet a reliquis partibus. In Muscis enim radiculae tubos simplices sistunt, in perfectioribus plantis radix medullae defectu, saltem in statu primario, ac non caulescente a caule, petiolisque differt.

Epiphytarum ordinum cum Mucedinum ordine nunc conjunxerim, cum limites difficillime separantur.

Fungorum classem, si velis ab Algis, Lichenibusque distinguere, praesto tibi erunt duo characteres, thallus floccosus, aut si hic deficit, sporangii magnitudo, ita ut potius et primarium sit in Fungo, cum in Alga, Licheneque minima sit pars, longeque a thallo magnitudine superetur.

## Ordo I.

## Mucedines.

*Sporidia nuda, libera aut pedicello fulta aut stromati instrata.*

*Series I. Entophytæ. Sporidia libera aut pedicello affixa, stromate nulla aut tenuissimo spondiis plane occultato.*

Spnidia voco in quibus alia sporidia non dignoscuntur, sporangia vero, in quibus dignoscuntur. Stromata in Fungis sunt receptacula propria globosa, oblonga, cylindrica.

*A. Entophytæ plantarum vivarum.*

I. *Hypodermium.* Caeoma. Berliner Magazin T. 3. p. 5.

Caeomatis nomen malum, cum vero Uredinis nomen generi secundario reservandum sit, aliud nomen Hypodermium proposuerim.

Plantulas esse, nec vitium plantæ, probant plantulae affines, absque limite certo in perfectiores transientes plantas.

Distinguuntur species sporidiorum forma, magnitudine, colore, nec non consistentia, nam aut pulverulentæ sunt, siccae et facile disperguntur, aut conglutinatae et humore inductæ. Plerumque sub epidermide oriuntur, sunt tamen species, quæ inspersæ videntur, granulis ex epidermidis cellulis excretis. Sic mihi visum est in H. Euphorbiarum aliisque.

Pucciniis immixta vidi Hypodermia et verrucae, quibus innascuntur Pucciniae, subinde Hypodermia continere videntur, at numquam Hypodermia vidi revera in Pucciniis mutata.

Hypodermia in plantis affinibus ejusdem quoque speciei, in diversis, diversæ videntur. Evidem in plerisque Hypodermiis, quæ variis plantis innasci dicuntur, differentias vidi non levis momenti. Toto enim coelo differunt e. g. Uredo miniata Lini et Uredo miniata Rosæ, quæ Persoonius olim conjunxerat. Paucæ tantum sunt species valde divulgatae et variis innascentes plantis, tunc vero semper tam affinibus quam diversis. Quæ vero omnia non impediunt, quo minus eidem plantæ variae Hypodermiorum species innasci possint.

Memoratu et ulteriore disquisitione digna sunt sporidia pyriformia subglobosis immixta, quæ primus in Uredine Lini vidi Decandolle; Non solum in Uredine Lini, sed in alia quoque specie vidi, quam Hypoder-

mium mixtum voco. Semper effoeta et pellucida erant. In Aecidio Eu-phorbiae cum sporidiis globosis alia quoque occurunt cylindrica vel fusiformia subseptata, fasciculata. Phaenomena singularia, nondum satis explorata!

*Indusium* voco membranam epidermidis aut sporidia tegentem, aut ejusdem membranae residua circa sporidia. *Peridium* dicatur excrescentia epidermidis, sporidiis exitum praeben. Ad plantam, cui Hypodermium innascitur, pertineri, nullum dubium est, at differt contextus cellulosus a cellulis epidermidis, hinc vera est excrescentia, nec epidermidis productio. *Macula* vitium plantae est, ab Hypodermio oriundum, *acervi* sunt sporidia congesta. Haec omnia aut *hypogena* dicuntur, cum in pagina folii inferiore occurunt, aut *epigena*, cum in superiore, aut *amphigena*, cum in utraque. Simili modo *epicaula*, *epiphylla*, *epantha*, *epimischa* etc. dici possunt.

*Subgenus. 1. Ustilago.* Berliner Magazin. I. c. p. 4.

Moneo analysis chemicam, quam Fourcroy et Vauquelin descriptsere, de alio Cerealium vitio esse institutam.

*Subgen. 2. Uredo.* *Sporidia libera*, *subglobosa* aut *oblonga*, *epidermide irregulariter rupta prodeuntia*, aut *ipsa persistente tecta*, aut *per ipsam excreta*.

Straussius (Annalen der Wetterauischen Gesellschaft T. 2 p. 79) in multis speciebus pedicellos sporidiorum vidit, in quibus non animadverto. At non raro conspicio adhaerentes contextu celluloso plantae fibrillas, quas, ni fallor, pro pedicellis habuit Auctor.

Species quaedam illustratae:

*Ur. oblongata*, macula elliptica fusca, acervis hypogenis ellipticis sub epidermide bullata latentibus, sporidiis oblongis fuscis. In foliis Junci vernalis.

*Ur. rivosa*, macula effusa, acervis hypogenis subrotundis, indusiis bullatis ruptis persistentibus, sporidiis fuscis. In foliis Violae caninae. Folia hocce Hypodermio inquinata rives habent fuscos sporidiis instratos. Aecidium argentatum Schultz Flor. stargard. Prod. p. 454 hujus loci.

*Ur. Menthastrum*, macula effusa, acervis hypogenis subrotundis minutis, indusiis ruptis in ambitu persistentibus, sporidiis fuscis demum nigrantibus. Habitat in *Mentha aquatica*. Aecidium *Menthae* Schultz starg. p. 454. *Uredo Menthae Persooni* et *Albertini Schweiniziique* colore multo pallidiore differt.

*Ur. Leguminosarum*, macula effusa, acervis epicaulis ellipticis, indusiis ruptis adambitum persistentibus, sporidiis fuscis. In caulis Leguminosarum.

*Ur. obtegens.* *Ur. suaveolens* Pers. Quamquam copiosissimam anno

*praeterlapso* viderim, nullum tamen odorem in ipsa sensi, hinc nomen, quod dubium movere possit, mutavi. Sporidia non mucronata vidi, uti describit Straussius.

*Ur. miniata*. Planta Persooni, Albert. et Schwein. hujus certe loci. Ur. pinguem Decand. hic referrem, at sporidia non oblonga vidi. Ur. Rosae  $\alpha$  Decand. frequens in Rosa alpina dicitur, in qua Ur. miniatam frequentissimam vidi.

*Ur. Lini Decand.* Macula obsoleta, acervis amphigenis et epicaulis circumscriptis, indusio rupto, ad latera persistente, sporidiis aurantiacis, subglobosis et pyriformibus. Ur. miniata  $\beta$  Pers. Albert. et Schwein. Habitat non infrequens in Lino cathartico. Cfr. Fig. I.

*Ur. Pyrolae*, Strauss. eadem, quae Aecidium Pyrolae Schultz starg. p. 452.

*Ur. Rhinanthearum*, macula effusa, acervis hypogenis effusis et circumscriptis, sporidiis nudis conglutinatis aureis. In Foliis Rhinanthei et plantarum affinium. Ur. Euphrasiae Schumach. Fl. Saell. p. 232. Ur. confluens  $\delta\delta$ . Rhinanthei Albert. et Schwein. p. 122. Ur. melampyri Rebentisch Fl. neomarch. p. 355.

*Ur. Stellariarum*, macula effusa lutea, acervis subrotundis hypogenis parvis sparsis convexis indusio tectis, sporidiis flavis. In Stellaria Holostea et adfinibus. Ur. pustulata  $\alpha$  Pers?

*Ur. mixta*, macula circumscripta et effusa lutea, acervis hypogenis aggregatis confluentibus effusis, indusio ad latus persistente, sporidiis oblongis et pyriformibus aurantiacis. In Salice triandra frequens. Sporidia oblonga intus quasi cellulis repleta, cui immixta sunt alia majora pyriformia, semper pellucida et effoeta. An Uredo Salicis Decand? at omnia sporidia pyriformia describit. An Ur. Vitellinae Decand? at in nostra sporidia oblonga.

Ur. mixta et Lini forte a reliquis separanda et in proprium genus ob corpora pyriformia redigendae.

*Subgen. 3. Uromyces*. *Sporidia pedicello fulta, epidermide irregulariter erupta prodeuntia*. Caeomurus. Berl. Mag. p. 5.

*Ur. appendiculatus*. Ur. appendiculata Pers.

*Ur. macropus*, macula parva, acervis ellipticis epicaulis elongatis, indusio denuo evanescente, sporidiis nigris oblongis, pedicello longo crasso. In caulibus Umbelliferarum.

*Ur. amphigenus*, macula effusa lutescente, acervis minutis subrotundis amphigenis, indusio rupto ad latera persistente, sporidiis fuscis, pedicello tenuissimo. Uredo flosculosorum Albert. et Schwein. p. 128. Ur. Cichoracearum Decand. Fl. Franc. T. 2. p. 229. Aecidium Lapsanae Schultz starg. p. 452. Aecidium Ruminis ej. p. 451. In variis plantis.

Haec enim species contra morem harum plantularum in variis speciebus occurrit, affines tamen species non omittit.

*Subgen. 4. Aecidium. Sporidia subglobosa sub verruca erumpentia intra indusium calyculatum (peridium.)*

*Aec. Convallariae*, macula effusa alba, verruca depressa, peridiis hypogenis distinctis sparsis et circinatis, sporidiis pallidis. In foliis Convallariae multiflorae.

*Aec. Frankeniae*, macula obsoleta, verrucis solitariis subrotundis, peridiis solitariis elongatis laceris, sporidiis flavis. In Frankenia pulverulenta frequens; elegans plantula, quam ex Italia attulit amicus Berger, plantarum indagator indefessus, qui propatria fortiter pugnans prope Grois Gorschken II do Maii 1813 cecidit.

Sit tibi terra levis, pulchras progerminet herbas!

*Aec. Euphorbiae*. Juniore aetate vidi sporidia fusiformia, subseptata, fasciculata, v. fig. 3. tum aetate proiecta sporidia subglobosa ut in reliquis apparuere speciebus. Singulare phaenomenon, quod ulterius inquirendum proposui.

*Subgen. 5. Peridermium. Sporidia subglobosa, peridio inclusa demum circumscisso.*

Hujus loci *Aecidium Pini Pers.*, elatinum, columnare, abietinum Albert. et Schwein. quae a reliquis Aecidiis habitu valde discrepant.

*Subgen. 6. Roestelia. Sporidia subglobosa, intra peridium, in tubulos seu fila secedens.*

Characterem restitui, uti clar. Rebentisch dedit. *Aecidium cornutum* et *Oxyacantheae*, quamquam maxime affines species, tamen ad *Aecidium* referrem.

*Gen. 2. Puccinia. Sporidia pedicellata, septo transverso distincta, sub epidermide erumpentia.*

Verrucam formant, cui ante eruptionem inclusa sunt sporidia, intra cellulas latentia; tunc emergunt et verrucae insident, epidermide rupta.

Verrucas solitarias dico, quae singulae sub eodem indusio conspicuntur, confertas, quae plures sub eodem indusio.

*P. Lychnidearum*, macula circumscripta, verrucis hypogenis subrotundis convexis solitariis aggregatis circinatis, indusio evanescente, sporidiis fuscis. *Aecid. Lychnidis* Schultz starg. p. 452. In *Lychnideis*.

*P. verrucosa*, macula effusa fuscenscente, verrucis hypogenis confertis subrotundis convexis, medio dilabente, sporidiis fuscis. In foliis *Calthae palustris*, *Glechomatis hederacei* aliarumque plantarum. *Aecid. verrucosum* Schultz starg. p. 452.

*P. bullata*, macula effusa, verrucis hypogenis depresso subrotundis solitariis, indusio bullato ad latus persistente, sporidiis fuscis. In foliis *Aceris*

*Pseudo-Platani* invenit olim amicissimus Siemssen, nunc frequentem vidi in Acere dasycarpo Vratislaviae.

*P. punctata*, macula obsoleta, verrucis hypogenis subrotundis depressis minutis solitariis, indusio ad ambitum persistente, sporidiis obscure fuscis. In foliis Galii paludos.

*P. crassa*, macula effusa, verrucis hypogenis oblongis convexis nigritantibus solitariis, sporidiis fuscis. In foliis Stellariae Holostaeae.

*P. Frankeniae*, macula effusa, verrucis hypogenis convexis irregularibus solitariis aggregatis, indusio evanescente, sporidiis fuscis. In foliis Frankeniae pulverulentae. Ex Italia attulit Berger.

*Gen. 3. Phragmidium. Sporidia pedicellata, pedicello basi incrassato, tri-multiseptata.*

Diffrert a praecedenti non solum pluribus sporidiorum septis, sed quoque ortu. E verrucis sub epidermide non oritur, sed e vesiculis folio innatis, quae pedicellum et sporidium emittunt. Hujus loci Puccinia mucronata Pers. Plures species bene distinxit Straussius. l. c.

#### *B. Entophytæ plantarum mortuarum.*

*Gen. 4. Stilbospora. Sporidia libera aut stromati temissimo intrata subglobosa et pyriformia saepe coadunata.* Cfr. Berl. Mag. p. 5.

*St. macrospora*, acervis elevatis irregularibus magnis atris, sporidiis cylindricis triseptatis (seu subglobosis conglutinatis ternis.) *St. macrosporæ* Pers. Sporidia potius terna coadunata, quam cylindrica triseptata dixerim, cum articuli facillime secedant. Acervi pisi magnitudine.

*St. pyriformis*, acervis elevatis irregularibus magnis atris, sporidiis pyriformibus. *St. ovata* Pers. *St. pyriformis* Hoffm. Stroma tenuissimum sub hujus, nec non sub aliarum specierum sporidiis certe subest.

*St. bullata*, acervis bullatis irregularibus magnis atris, sporidiis uniseptatis (seu sporidiis globosis didymis) Uredo bullata Pers. Bullaria umbelliferarum Decand. Cfr. Berl. Mag. p. 5. Cum speciem accurate inspicere non licuerit, dubius adhuc sum de genere.

*St. didyma*, acervis depressis irregularibus parvis atris, sporidiis subglobosis conglutinatis didymis. In ramis dejectis arborum. Acervi magnitudine grani pulveris pyrii.

*St. conglutinata*, acervis depressis irregularibus minutis atris, sporidiis subglobosis conglutinatis. In ramis dejectis fruticum. Acervi minores grano pulv. pyrii.

*St. spermatodes*, acervis elevatis magnis atris, sporidiis globosis solutis. In cortice arborum. Acervi inter fissuras corticis erumpunt.

*St. conglomerata*, acervis elevatusculis atris, sporidiis subglobosis

conglomeratis. In cortice arborum. Acervi minores ac in praecedente, inter fissuras corticis erumpentes.

*St. microsperma*, acervis depressis subrotundis atris parvis, sporidiis irregulariter subglobosis. *St. microsperma* Pers. In ramis dejectis fruticum. Stroma in hac specie magis manifestum ac in reliquis. Acervi magnitudine grani pulveris pyrii.

Stilbosporam asterospermam Pers. nondum vidi. Forte proprii generis planta. Melanconium Berl. M. p. 7 nunc amitto, utpote plantam dubiam, Sphaeriis adfimem.

*Gen. 5. Fusidium. Sporidia nuda, congesta, fusiformia et oblonga. Stroma tenuissimum.* Cfr. Berl. Mag. p. 6.

A Stilbosporis et colore differunt, qui numquam ater. Stroma tenuissimum vesiculosum certe adest.

*F. obtusatum*, acervis minutis rotundis depressis candidis, epidermide erupta cinctis, sporidiis oblongis utrinque obtusis. In ramis dejectis fruticum.

*F. hypodermium*, acervis hypodermii (sub epidermide occultis) oblongis minutis confluentibus, sporidiis fusiformibus aurantiacis. In caulis plantarum marcidarum.

*F. roseum*. Fusarium roseum Berl. Mag. p. 12. Cum in omnibus speciebus stromatis vestigia adsint, Fusarium stromate distingui nequit.

*F. aurantiacum*. Fusisporium aurantiacum Berl. Mag. p. 17. Thallus floccosus in hae specie mihi accessorius videtur, nam Vratislaviae plantulam sine thallo inveni.

Series 2. *Conisporae. Sporidia libera extus pulvere conspersa.*

*Gen. 6. Conisporium*. Berl. Mag. p. 6.

Extra Lusitaniam mihi non obvenit.

Series 3. *Sphaerobases. Stroma globosum aut capitatum sporidiis tectum.*

*Sporidia instrata.*

*Gen. 7. Tubercularia. Stroma compactum.*

*Sporidia globosa minuta, superne stroma dense tegentia.* Berl. Mag. p. 32.

Stratum nucleum cingense meris sporidiis constat compactis. Thallus floccosus subinde praesens, accessorius videtur. Stratum sporidiorum hemisphaericum subinde tantum prominet, ut stroma stipitatum appareat. Stroma vesiculosum. Sporidia exakte globosa, minutissima. Sub epidermide ligni emortui prorumpunt.

*T. ciliata*, globosa rubra minuta, limbo albo ciliato. In ramis di-

jectis fruticum. Magnitudine capitis aciculae. Non est Tubicularia ciliata Albert. et Schwein. quae ad Abractia pertinet.

*T. floccosa*, globosa pallide rubescens minuta floccis albis superne tecta. In ramis dejectis fruticum. Magnitudine vix capitis aciculae. Misit elegantem plantulam Dr. Nees ab Esenbeck.

*Gen. 8. Atractium. Stroma globosum aut capitatum. Sporidia tusiformia.* Berl. Mag. p. 8.

*A. ciliatum*, globosum rubens minutum, pilis longis vestitum. Tubicularia ciliata Albert. et Schwein. p. 68 t. 5. f. 6. Sporidia in hac planta septata vidi.

*A. pulvinatum*, globosum convexum roseum, sporidiis albis. In ramis dejectis fruticum. Magnitudine vix capitis aciculae. Vratislaviae frequens.

*Gen. 9. Dermosporium. Stroma compactum globosum, undique cinctum strato sporidiorum.*

Affine genus Tubiculariae at habitu Sclerotii aut Aegeritae. Stroma quasi membrana undique cinctum, quae vero tota quantae sporidiis conflata est sat magnis.

*D. flavicans*, grégarium globosum inspersum flavicans. Granula minutissima, copia tamen conspicua, qua corticem ligni dejecti tegunt, ovis insectorum simillima, v. fig. 4 a. et 6. An Aegerita pallida Pers? In montosis Silesiae.

*Gen. 10. Epicoccum. Stroma globosum compactum sporidiis subglobosis inspersis.*

Sporidia hinc inde adspersa incumbunt, nec undique tegunt ut in Dermosporio, nec instar densi strati incumbunt, ut in Tubularia.

*E. nigrum*, macula effusa nigra, stromatibus globosis minutis aggregatis nigris. In caulibus plantarum aridis Rostochii, nec non Vratislaviae. Macula nigra caulem obtagit, in qua granula minuta nigra pulveris pyrii granis minora aut sparsa aut conferta eminent, v. fig. 5.

### B. Sporidia innata.

*Gen. 11. Conoplea. Stroma globosum aut depresso compactum. Sporidia filiformia saepe septata.* Exosporium. Berl. Mag. p. 7.

Cum veras Conopleae species nunc viderim, certus sum Exosporium Tiliae non esse separandum quamvis sporidia in hac plantula multo minoria ac in reliquis. Recente statu sporidia saepe septata sunt.

*C. Tiliae.* Exosporium Tiliae. Berl. Mag. p. 7.

*C. hypodermia*, elliptica, gregaria sub epidermide prorumpens con-

*fluens parva*), sporangiis elongatis distantibus filiformibus. In ramulis dejectis magnitudine granorum pulveris pyrii.

*C. hispidula*, subrotunda gregaria insidens atra, sporangiis longissimis filiformibus. *C. hispidula* Pers. In foliis Graminum, vix magnitudine granorum pulveris pyrii. Misit Dn. Nees ab Esenbeck. In his pulverem non conspicio, de quo loquuntur Albertini et Schweinitz. Forte herum planta diversa a Persooniana.

*C. clavuligera* subrotunda depressa nigra, sporidiis elongatis filiformibus nigris, aliis clavatis pellucidioribus. In ramis dejectis, sparsa, grano pulveris pyrii multo minor. Singularis planta ob sporidia clavata immixta. Misit Dn. Nees ab Esenbeck.

Series 4. *Tremelloideae*, *Stroma expansum*, *humidum tumescens* et *gelatinosum*.

#### A. Sporidia inspersa.

Sporidia globosa minuta, initio intra stroma dispersa, dein emersa stromati incumbentia, saepe denso satis strato, saepe instar pulveris tenuissimi. Cum sporidia superficie tandem incumbant, huc retuli.

Gen. 12. *Tremella*. *Stroma gelatinosum*, *nucleo nullo*, *magis minusre plicatum*, *intus floccigerum*. Berl. Mag. p. 32.

Hujus loci: Tr. mesenterica Pers. in qua sporidia magna saepe copia ad marginem effusa incumbunt; Tr. spiculosa, in qua nullas tamen spiculas vidi; Tr. undulata; T. deliquescens Bull. seu Tr. lacrymalis Pers. cuius altera varietas lutescens; altera aurantiaca, an specie diversae?; Tr. abietina, cuius flocci intertexti septati tenuissimi albi, sporidiis cerebrimis aurantiacis globosis interspersis, quae saepe intra floccos inclusa videntur.

*Tr. favosa*, applanata, subrotunda tenuis pellucens fusca, supra rugoso-favosa. In Brasilia. Comes de Hoffmannsegg dedit.

An hujus loci Naemaspora cirrhata Pers.? Gerte non est Naemaspora. Compages granulosa, floccis intermixtis.

*Tremella Urticae* Pers. p. 628. a reliquis speciebus floccis rectis parallelis differt, quippe qui in aliis magis contorti sunt.

Gen. 13. *Encephalium*. *Stroma ambitu plicato gelatinoso*, *nucleo duro compacto*, *sporidiis in ambitu sparsis demum emersis*.

Compages ambitus flocculosus vesiculis intermixtis, nuclei totus floccosus e floccis contortis.

*E. aurantiacum*. *Tremella encephala* Pers.

*B. Sporidiis innatis.*

*Gen. 14. Gymnosporangium. Stroma elevatum, variae formae ge-latinosum, sporidiis uniseptatis.*

Genera *Gymnosporangium* et *Podisoma* Berl. Mag. p. 7. nunc in unum contraho, nam pedicelli sporidiorum in Podisomate contextu vesiculoso conjuncti sunt. Habitu quoque sat convenient. Species v. apud Decandolle. Fl. Franc. T. 2. p. 216.

*Series 5. Byssoidae. Thallus floccosus, floccis tubulosis plerum-que septatis. Sporidia floccis inspersa, saepe ex articulis floccorum secedentibus exorta, rarius nulla.*

Series valde naturalis, si Mucorem, Thamnidium, Ascophoram addideris. Oriuntur hujus seriei plantulae e corporibus organicis corruptis. Sporidiorum ortus non facile extricandus, in aliis enim quasi secreta vi-dentur, et humoris instar prodeuntia, in aliis vero articuli in sporidia dilabuntur.

*Gen. 15. Haplaria.* Berl. Mag. p. 9.

*Gen. 16. Acladium.* Berl. Mag. p. 9.

*Acladium* herbarum non hujus loci, infra recensendum.

*Gen. 17. Sporothrichum. Thallus e floccis ramosis, intricatis, de-cumbentibus aut erectiusculis, septatis et non septatis. Sporidia ubi-que inspersa simplicia rotundata.*

Plura genera *Sporothrichum*, *Asporothrichum* et *Dematium* nunc combino. Sporidia enim in *Dematio* et *Asporothrichis* variis nunc vi-deo, at parca copia floccis arctius adhaerentia; thallus septatus in aliis totus, in aliis partim, in aliis versus extremitates tantum, in aliis non septatus ita ut limites vix dignoscantur.

Densa voco, quorum flocci approximati, laxa, quibus non ita.

*Subgen. 1. Lysisporium. Thallus septatus. Sporidia dense insper-sa, facile delabentia.*

*Sp. aureum.* Berl. Mag. p. 11.

*Sp. flavissimum,* crassum densum expansum, floccis flavissimis de-cumbentibus, sporidiis copiosissimis. Tomento crasso asseres investit cum xylophago. *Sp. vitellino* affine.

*Sp. vitellinum.* Berl. Mag. p. 11.

*Sp. luteo-album.* Berl. Mag. p. 11.

*Sp. candidum.* Berl. Mag. I. c.

Hujus varietates plurimae sunt. Aliam enim in fungis majoribus invenis teneriorem aliam in fungis et gastromycis parvis tenerrimam.

*Sp. polysporum,* candidum stuposum densiusculum, sporidiis copiosis globosis. In ligno putrido.

*Sp. densum.* Perl. Mag. p. 11.

*Sp. calcigenum,* effusum laxum tenue nigrum sporidiis minutis globosis. Latas plagas occupat in cubiculis recenter calce illitis, humorem conservat, et adtrahit, quam ob causam parietes destruit.

*Sp. parietum,* effusum tenerum, laxum album, versus ambitum sterile, versus discum sporidiis nigris dense obiectum. In parietibus recenter dealbatis humidis.

*Sp. griseum.* Berl. Mag. p. 11.

*Sp. virescens.* Berl. Mag. l. c.

*Sp. chlorinum,* effusum e viridi flavum, densus crassiusculum, floccis tenuibus, sporidiis globosis minutis. In foliis dejectis.

*Sp. roseum,* effusum, extans tenerum laxum candidum sporidiis roseis. Ad ollas in quibus plantae hyeme conservantur frequens, iunicre aetati totum candidum, tunc sporidiis provenientibus roseum.

*Sistotrema aeruginosum* Albert. et Schwein. mihi videtur Sporothrichum obducens Hydni subulos.

*Subgen. 2. Alytosprium.* *Thallus septatus* nec ne. *Sporidia arcte adhaerentia, rarius nulla.*

*Sp. badium.* Berl. Mag. p. 10. Et e Lusitania habemus.

*Sp. fuscum.* Berl. Mag. l. c. Et e Lusitania.

*Sp. fulvum.* Berl. Mag. l. c.

*Sp. stuposum.* Berl. Mag. l. c.

*Sp. nigrum.* Dematium nigrum. Berl. Mag. p. 19. Sporidia rara, arcte floccis adhaerentia. Varietatis variis ludit. Thallus non septatus.

*Sp. jubatum,* effusum laxum crassum fusco-flavum, floccis non septatis crassis. In ramis dejectis, quas investit denso pelle.

*Sp. griseo-flavum,* effusum laxum crassiusculum, versus discum griseum in ambitu flavum, floccis tenuibus septatis, sporidiis globosis minutis. In arborum truncis dejectis.

*Sp. molle,* effusum flavovirens densus, floccis tenuibus apice septatis, sporidiis globosis. In terra ad radices fruticum, quam investit veluti panno molli.

*Sp. psittacinum,* effusum, densus, crassiusculum colore amoene flavo-viridi, floccis tenuibus septatis, sporidiis rariss. Ad ramos dejectos in Lusitania.

*Sp. murinum,* effusum, densus, crassiusculum colore griseo murno, floccis tenuibus septatis. Ad ramos dejectos in Lusitania.

*Sp. muscorum,* effusum crassiusculum, versus ambitum laxum fuscum, versus medium densus tuberculatum cyanescens. Sub muscis a Dn. Nees ab Esenbeck, qui mihi inter alios fungillos elegantes misit.

*Sp. azureum.* Berl. Mag. p. 11.  
*Sp. bombacinum,* effusum, tenuissimum, densiusculum album, floccis tenerimis septatis. In foliis dejectis, quae instar telae araneae investit, sporidiis obscuris.—

*Gen. 18. Chloridium.* Berl. Mag. p. 11.

*Gen. 19. Botrytis.* Ibid. p. 12.

*B. flavicans,* effusa, tenuis, ramis virgatis, flavicans, albo-limitata, sporidiis minutis globosis. In ramis arborum dejectis.

*B. rosea,* effusa laxa, extans, ramis virgatis, rosea, sporidiis globosis minutis in apicibus ramorum collectis. In ramis arborum.

*B. variosperma,* effusa, densa candida, ramis virgatis, sporidiis ovalibus aliis majoribus, aliis minoribus. In ligno putrido. Misit. Dn. Nees ab Esenbeck. Habitum Sporothrichi refert, at rami in superficie efflorescent sporidia sustentantes. An sporidia quoque didyma?

*Gen. 20. Stachyldium* Berl. Mag. p. 13.

An cum Botryti combinandum?

*Gen. 21. Acremonium.* Berl. Mag. I. c.

*Gen. 22. Byssocladium.* *Thallus e floccis centrifugis decumbentibus, ramosis expansis nec intricatis, sporidiis ubique inspersis.*

A Sporothricho floccis expansis nec intricatis differt. Auctores cum Himantia et Byssō saepe confundere videntur, at in hoc sporidia ubique et manifeste inspersa.

*B. candidum,* tenue, candidum, appressum ramosissimum, apicibus penicillatis, sporidiis parvis globosis. Non infrequens in soliis delapsis, truncis putridis etc. Cautē distinguendum ab initii Poriarum Boletorum aliorumque fungorum, quibus vero nulla sporidia.

*B. fenestrale,* tenue griseum, appressum, ramosum. In fenestrī non purissimis. Conferva fluviatilis Roth.

*Gen. 23. Aspergillus.* Berl. Mag. p. 14. Polyactis ibid.

Polyactin cum Aspergillo nunc conjungo, apices enim sporiferi revera clavati. Ab Aspergillo non differt nisi apicibus divisis.

### a) *Apicibus divisis.*

*A. quadrifidus,* effusus, extans, floccis teneribus ramosis griseis, apice quadrifidis fertilibus. In pomis et pepis putridis. Magnus

### b) *Floccis erectis simplicibus, apicibus non divisis.*

*A. glaucus.* Berl. Mag. p. 14. Mucor crustaceus in pane mucido reperiundus non differt, nisi floccis magis intricatis et densis. Est quoque varietas minuta in herbis putrescentibus.

*A. ovalispermis*, effusus, floccis decumbentibus ramosis erectis simplicibus omnibus albis, sporidiis ovalibus. In pomis putridis. Misit Dn. Nees ab Esenbeck.

Botrytis diffusa Albert. et Schwein. quantum in specimine sicco, ab Auctoribus collecto, videre licet ad Aspergillum pertinet et quidem ad Polyactin.

Gen. 24. *Penicillium*. Berl. Mag. p. 14.

*P. expansum*. Berl. Mag. l. c. Frequentissimum. Globuli minutis pellucidi albi floccis decumbentibus antequam fructiferi emergunt, inspersi semper albi manent, cum reliqui virescant aut glauci fiant. An duplicitis sexus vestigia? Fatiscaens planta tota quanta in globulos opacos nigros e globulis minutis compositos dilabitur, quam, ne pro planta generis diversi habeas cave. *P. glaucum* a *P. expanso* non differre videtur, variat enim pro soli conditione.

*P. roseum*, effusum, tenue album, floccis decumbentibus ramosis, erectis simplicibus, sporidiis globosis roseis albisve. In caule solani tuberosi exsiccati. Misit Dn. Nees ab Esenbeck.

Gen. 25. *Coremium*. Berl. Mag. p. 17.

Stroma certe e floccis contextum, unde hujus loci.

Gen. 26. *Collarium*. Berl. Mag. p. 15.

*C. fructigenum*, tenue album, acervulis sporidiorum griseis, solo (cui adsidet) innatis. In pomis putridis.

Genus in Sporothrichum transit, sunt enim Sporothrichi species, quarum sporidia in media planta coacervata et solo fere adnata sunt.

Gen. 27. *Geothrichum*. Berl. Mag. p. 15.

Gen. 28. *Thrichothecium*. Berl. Mag. l. c.

Gen. 29. *Epochnium*. Berl. Mag. p. 16.

Gen. 30. *Oidium*. Berl. Mag. l. c.

*O. rubens*, effusum, tenuissimum rubens, dilabens in sporidia copiosissima minuta globosa concolora. Frequens in caseis vetustis.

Genus Oidii aegre distinguitur a Sporothricho nec nisi sporidiorum ortu, quem tantum in ramorum apicibus deprehendere licet.

Gen. 31. *Cladosporium*. *Thallus e floccis caespitosis erectis simplicibus aut subramosis, apicibus in sporidia secedentibus*.

A Sporothricho et Oidio differt floccis non intricatis, ab Acladio, sporidiis apici primum innatis, dein delabentibus.

*Cl. herbarum*, atrovirens, densum, effusum floccis septatis. Acladium herbarum. Berl. Mag. p. 10. Dematium herbarum Pers.

*Cl. abietinum*, fuscum expallescens densum effusum, floccis septatis. Sporothrichum abietinum. Berl. Mag. p. 13. Dematium abietinum Pers.

## OBSERVATIONES

*Cl. aureum*, aureum, densem, effusum, floccis septatis. In rupibus. Misit Nees ab Esenbeck. Cauter distinguendum ab Alga. Sporidiis vero apici innatis, tum delabentibus differt.

*Cl. atrum*, atrum, sparsum ac effusum, floccis non septatis. Colore atro ramos dejectos investit floccis rigidioribus non septatis obscurioribus minus pellucidis alienum refert habitum.

Gen. 32. *Sepedonium*. Berl. Mag. p. 16.

Gen. 33. *Mycogone*. Berl. Mag. l. c.

Gen. 34. *Aleurisma*. Berl. Mag. l. c.

*A. flavissimum*, acervis minutis globosis sparris aureis. In cortice arborum et muscis calidarum regionum, acervulos minutos efficit capite aciculae dimidio fere minoribus.

*A. saccharinum*, acervis indeterminatis effusis albis fungis instratis. Acervos format lin. et ultra latos hinc inde confluentes crassiusculos. Agaricis Boletisque incumbit. Isaria agaricina Pers.

*A. bulbosorum*, acervis minutis globosis albis. In bulbis Hyacinthorum aquae impositis et putrescentibus. Acervi capite aciculae minores.

*A. roseum*, acervis minutis globosis sparsis roseis. Acervi capitis aciculae magnitudine. In terra turfosa nigra.

*A. macrosporum*, acervis circumscriptis convexis subglobosis crassis confluentibus magnis, sporidiis subglobosis magnis. Frequens in fructibus maturis Cerasorum, aliisque, quos destruit.

*Al. inspersum*, acervulis subrotundis sparsis et confluentibus, albis, sporidiis concoloribus albis. In ramis dejectis. Sporidia creberrima alba. Acervuli lin. dimidiata longi.

Gen. 35. *Racodium*. Berl. Mag. p. 19.

Racodium rupestre Pers. ad hoc genus nunc refero.

Gen. 36. *Ozonium*. *Thallus ramis majoribus e floccis contextis, minoribus simplicibus septatis*. Berl. Mag. p. 19.

Character generis non bene expressus in Diss. prima. Positus est in ramis contextis e floccis, qui simplices in Sporothricho et affinis.

*C. auricomum*. Berl. Mag. l. c. Mesenterica lutea ab Albert. et Schwein. collecta, mihi tradita hunc pertinet. An vero Mesenterica lutea Tod.?

Genera Byssus, Himantia, Xylostroma, Hyphasma\*) aliorum fungorum primordia sunt. Lichen subterraneus Auct. in fodinis Waldenburgensisibus a me observatus, nil est, nisi Merulii, Boleti aut alii cujusdam

---

\*) Berl. Mag. p. 20. l. 22; lege Hyphasmatis loco Styphasmatis.

fungi adfinis thallus. Simili modo thallus Merulii vastatoris aut Xylophagi nostri per trabes longe lateque serpit, nec pileum profert, nisi aeri libero expositus. Idem in fungis hisce subterraneis procul dubio accidit.

*Gen. 37. Helmisorium.* *Thallus e floccis erectis crassis rigidis opacis, extremitatibus saepe septatis. Sporidia hinc inde adglutinata.* Berl. Mag. p. 8.

*H. velutinum,* floccis sparsis subramosis nigris, sporidiis versus basin adhaerentibus pyriformibus elongatis ad basin hinc septatis. Berl. Mag. l. c. Sporidia in toto genere non vere adnata, sed adhaerentia.

*H. minus,* floccis sparsis subramosis nigris, sporidiis ubique adhaerentibus globosis non septatis. In ramis dejectis et herbarum caulis siccis ut praecedens species, a qua sporidiis valde differt.

*A. carispernum,* floccis fasciculatis subramosis nigris, sporidiis ubique adhaerentibus globosis non septatis dehiscentibus. Dematiatum articulatum Pers. Elegans plantula. Sporidia foramine sat conspicuo dehiscentia. An inde genus proprium, Coelosporii nomine constituendum? In caulis Graminum siccis, Conopleae habitu.

*A. ramosissimum,* floccis fasciculatis ramosissimis nigris sporidiis ad basin adhaerentibus globosis. In caulis herbarum siccis. Misit Dn. Nees ab Esenbeck.

*Series 6. Scutellatae.* *Thallus floccosus scutellas formans, quae excipiunt sporidia muco involuta.*

*Gen. 38. Dacrydium.* Berl. Mag. p. 39.

*Series 7. Menbranaceae.* *Stroma floccosum in membranas ramulosas contextum.*

*Gen. 39. Ceratium.* Berl. Mag. p. 18.

*C. aureum,* effusum, ramulis filiformibus creberrimis flavis. In truncis putridis elegans plantula. *C. hydnoidi* affinis, at colore differens. In Silesia non infrequens.

*Series 8. Mycetodeae.* *Stroma capitatum aut ramosum e contextu vesiculoso-floccoso, floccis insidentibus sporidiferis.*

*Gen. 40. Cephalothrichum.* Berl. Mag. p. 18.

*Gen. 41. Isaria.* Berl. Mag. p. 17.

Hujus loci Periconia Stemonitis. Species multae sporidiis nullis ambiguæ et dubiae denuo observandæ restant. Et Hydnus calvus Albert. et Schwein. hoc refereudeum.

*Series 9. Sporidiosae.* Thallus totus articulatus, articulis sporidia sistentibus.

*Gen. 42. Monilia.* Berl. Mag. p. 19.

*Gen. 43. Torula.* Berl. Mag. p. 19.

## OBSERVATIONES

*T. herbarum.* Berl. Mag. l. c. Varietas multo major in australioribus praesertim Cistis occurrit.

*T. tenera,* acervis subrotundis confluentibus, floccis ramosissimis articulis dilabentibus pellucidis globosis. In ramis dejectis. Externa facie Stilbosporae similis.

Gen. 44. *Sporodermium.* Berl. Mag. p. 39.

Quo referam Erineum et Rubiginem plane nescio. A reliquis Mucedinibus valde recedunt, nec cum Algis combinari possunt. Sporidiorum vestigia numquam in his reperi. Helicomycen vero ad Algas nunc referram, video enim Oscillatorias juniores non raro spiraliter contortas.

## Ordo 2.

## G a s t r o m y c i.

*Sporidia sporangio inclusa absque thecis.*

Series 1. *Mucidi.* *Sporangia floccis simplicibus (non contextis) tubulosis insidentia.*

Gen. 1. *Mucor.* Berl. Mag. p. 28.

Vidi quoque in Mucoribus floccos nondum florentes granulis minutis globosis inspersos ut in Aspergillo. Quae quidem granula in Thamnidio propriis stipitibus inhaerent.

Gen. 2. *Eurotium.* Berl. Mag. p. 29.

Gen. 3. *Thamnidium.* Berl. Mag. p. 28.

Gen. 4. *Ascophora.* Berl. Mag. l. s.

Gen. 5. *Pilobolus.* Berl. Mag. p. 30.

Series 2. *Solidi.* *Sporangia fugacia stipite solido firme.*

Gen. 6. *Stilbum.* Berl. Mag. p. 28.

Series 3. *Amphispori.* *Sporangia persistenti, sporidiis variis repleta.*

Gen. 7. *Amphisporium.* *Sporangia sessilia, sporidiis globosis et fusiformibus repleta.*

Genus valde singulare, ob sporidia tam fusiformia quam globosa. Illa parietibus propiora, coacervata, tenuia, pellucida quasi effoeta; haec discum versus conglobata, globosa, sat magna, opaca, massa grumosa refertu. An et hic quoque duplicitis generis vestigia? Sporidia v. fig. 6.

St.

*St. versicolor*, subglobosum tum deplanatum, primo album molle, dein luteum, tandem griseum. Parvum, magnitudine lineae dimidiae diametro, sparsum, non infrequens in bulbis Hyacinthorum, aliarumque plantarum, aquae impositis, ut hyeme floreant.

Series 4. *Floccosi*. Thallus floccosus peridium sistens.

Gen. 8. *Thrichoderma*. Berl. Mag. 21.

*Th. aeruginosum*, acervis sporidiorum aeruginosis, flocis candidis. Differt a *Th. viridi* sporidiorum colore. In ligno putrido.

Gen. 9. *Myrothecium*. Berl. Mag. p. 2.

Series 5. *Mycetodei*. Firmi, nec stipite, nec sporangio fugaci, sporangio simplici.

Gen. 10. *Spumaria*. Berl. Mag. p. 22.

Gen. 11. *Aethalium*. Berl. Mag. l. c.

Thallus floccosus circa sporangium expansus transit in membranam e flocis contextam, quae sporangium in latere inferiore, ligno aut solo cuidam adfigit. Supra vero, ubi aëri et luci expositum est, alia contetur membrana, crassiore fragiliore, alieni coloris. Hinc e colore membranae superioris determinanda est species.

Gen. 12. *Pittocarpium*. Sporangium subglobosum plicatum. Peridium simplex, primo molle, dein friabile, crassum, intus cellulare; sporidia continens.

Differt a praecedente genere defectu peridii externi in thallum abente, nec non peridii interni consistentia, quippe quod resinae quoad habitum externum plane simile est. Sporangia quoque minus copiosa, ac in praecedente genere.

*P. flavum*, extus fuscum, intus dilute flavum sporidiis concoloribus minutis globosis. Pisi aut fabae magnitudine herbis inhaeret et adglutinatur. In montosis Silesiae.

Gen. 13. *Lignydiwm*. Bot. Mag. p. 22.

Gen. 14. *Strongylium*. Bot. Mag. l. c. Corrigatur ibidem error typographicus Arongylium.

Gen. 15. *Dermodium*. Berl. Mag. p. 23. Corrigatur ibidem error typographicus Demordium.

Gen. 16. *Lycogala*. Sporangium globosum aut difforme. Peridium simplex papyraceum irregulariter rumpens. Sporidia congesta.

Character Berl. Mag. p. 23. indicatus in flocis positus intus adnatis difficillime dignoscitur. Optime vero dehiscentia a Licea distinguitur. Prima aetate fluidiusculum.

Gen. 17. *Licea*. Sporangium globosum. Peridium simplex crux-staceum circumscissum. Sporidia congesta.

Hujus loci Licea strobilina et circumscissa,

*Gen. 18. Didymium. Sporangium globosum aut effusum. Peridium simplex, duplexve. Columella globosa intra peridium. Flocci versus basin intus adnati. Sporidia congesta.*

Genera Leocarpus, Leangium, Didymium, Diderma, Physarum, Cionium Berl. Mag. p. 23. 24. nunc mihi nimis subtiliter divisa videntur. Superficies peridii, nec non modus quo rumpitur ad distinguenda genera vix sufficiunt cum limites nullo modo dignoscendi sint. Duplex peridium saepe obscurum, alterum enim tam tenue ut vix distinguas. Nec natura bene sunt separata genera, nam ex habitu species non agnosces.

Ad *Didymium* pertinent: *D. stellare* (Diderma Pers.), *D. floriforme* (Diderma Pers.), *D. physaroides* (Leangium physaroides Berl. Mag. p. 24), *D. globosum* (Diderma Pers.), *D. tectaceum* (Diderma Pers.), *D. farinaceum* (Physarum Pers.).

*D. Geaster*, sessile globosum, album parum suscens, peridio stellatum rupto reflexo, columella alba. In ligno arborum putrescentium magnitudine grani Panici italicici. Peridium interne a sporidiis nigricantibus infuscatum, ita ut duplex appareat.

*D. effusum*, sessile, globosum aut effusum squamulosum, peridio simplici, columella alba. In foliis dejectis.

*D. trichodes*, sessile, globosum et effusum connatum, peridiis fuscis delabentibus, floccis densis persistentibus fuscis, columellis parvis aggregatis. Singularis species Physaro reticulato Albert. et Schwein. aut Ph. confluenti Pers. adfinis. Ad Trichiam accedit. In arborum cortice in Silesia.

*D. Muscicola*, stipitatum globosum connatum botryoideum cinereum furfuraceum, stipite lato difflente fusco. In Muscis Silesiae.

*Gen. 19. Physarum. Sporangium globosum aut oblongum aut effusum. Peridium simplex, duplexve. Columella nulla. Flocci versus basin intus adnati aut nulli. Sporidia coacervata.* Cfr. Berl. Mag. p. 23.

a. *Sessilia, laevia.*

Hujus loci Diderma difforme Pers. Leocarpus calcareus Berl. Mag. p. 23. Physar. contextum Pers. An idem ac Phys. contextum Albert. et Schwein.?

b. *Sessilia squamulosa.*

Ph. bivalve, cinereum, griseum etc. Berl. Mag. p. 25.

c. *Stipitata squamulosa cinerea.*

Phys. nutans, albipes, sulcatum, albopunctatum Schum. leucopus, connexum. Berl. Mag. p. 25.

*Ph. elongatum*, sporangio globoso cinereo, stipite longissimo tenui albo. In ligno putrido. A. *Ph. albipede* stipite longissimo gracili differt.

*Ph. purpurascens*, sporangio globoso cinereo tinctura purpurascente, stipite fuscescenti albo. In ligno putrido.

*Ph. sinuosum*, Clavus, capitatum, didymum Schumach. columbinum. Berl. Mag. p. 25.

*Ph. confluens*, sporangiis globosis confluentibus cinereis, stipitibus brevissimis crassiusculis. In ligno putrido.

*Ph. compressum*, sporangio cinereo subgloboso compresso, stipite longo fusco. In Pinorum ramulis. Cfr. Albert. et Schwein. p. 97.

*Ph. Hypnorum*, sporangio globoso cinereo, stipite crasso mediocri fusco. In Muscis in Comitatu Glatzensi. Stipite crasso fusco facile distinguitur.

*d. Stipitata, squamulosa, non cinerea.*

*Ph. viride*, aureum, bullatum, verrucosum Berl. Mag. p. 25. In his nullos vidi floccos.

*e. Stipitata, laevia.*

*Diderma vernicosum* Pers. *Leocarpus vernicosus* Berl. Mag. p. 25. *Leocarpus spermoides* Berl. Mag. l. c.

*Gen. 20. Trichia*. Berl. Mag. p. 26.

*Gen. 21. Stemonitis*. Berl. Mag. l. c. Corrigatur ibidem in descriptione, capillitium esse ut in praecedente, cum potius ut in sequente sit.

*Gen. 22. Arcyria*. Berl. Mag. p. 26.

Floccos non septatos vidi. Sporangium ut in generibus adfinibus prima actate fluidiusculum.

*Gen. 23. Dictyidium*. Berl. Mag. p. 27.

Flocci potius nervi dicantur, nam e pluribus floccis dense contexti sunt.

*Gen. 24. Cibraria*. Berl. Mag. p. 27. Et in hoc genere flocci potius nervi sunt.

*Gen. 25. Craterium*. Berl. Mag. l. c.

*Gen. 26. Calicium*. Berl. Mag. l. c.

*Gen. 27. Onygena*. Berl. Mag. p. 28.

*Gen. 28. Tulostoma*. Berl. Mag. p. 29.

*Gen. 29. Lycoperdon*. Berl. Mag. p. 29.

*Gen. 30. Scleroderma*. Berl. Mag. p. 29. An *Hypogaea* e. g. *Scervinum* separanda? Non rumpuntur, stipite nullo radicantur, et ne hujus vestigia quidem habent.

*Scl. pedunculatum*, globosum fusco-flavum, verruculatum, stipite tenui brevi sulcato, radicato. Habitat in Lusitania. Magnitudine fere *Scl. citrini*; at stipite tenui  $\frac{1}{2}$  unc. longo sat distinctum. Color obscurus.

Gen. 31. *Diploderma*. *Sporangium globosum*, *stipitis vestigio nullo*. *Peridium duplex*, *exterius durum*, *lignosum*, *non rumpens*, *interius chartaceum*. *Sporidia floccis inspersa in glomerulos non coacta*.

Genus non solum ob peridium duplex, sed quoque ob sporidia non glomerulata a praecedente distinctum. *Sclerodermatis hypogaeis* affine.

*D. tuberosum*, subglobosum tuberiforme e fusco luteum, floccis et sporidiis badiis. In arena regionum australium Europae, Italiae, Hispaniae, Lusitaniae, magnitudine nucis Iuglandis, durum absque stipitis rudimento.

Gen. 32. *Bovista*. Berl. Mag. p. 30. *Sporidia certe pedicellata s. caudata*.

Gen. 33. *Geastrum*. Berl. Mag. l. c.

Gen. 34. *Sterrebekia*. *Sporangium subglobosum*. *Peridium duplex*, *exterius carnosum tandem durum multifidum*, *internum carnosum lignosum profunde multifidum*. *Sporidia floccis inspersa*.

Compage peridiorum et toto habitu a praecedente genere differt.

*St. Geastrum*, lutescens floccis brunneis. In arenosis Italiae, Hispaniae, Lusitaniae. Magnitudine *Sclerodermatis citrini*.

Gen. 35. *Sphaerobolus*. Berl. Mag. p. 30.

Gen. 36. *Asterophora*. Berl. Mag. p. 31.

Series 6. *Compositi*. Firmi, sporangio composito.

Gen. 37. *Pisocarpium*. Berl. Mag. p. 31. Hujus loci certe *Scleroderma arhizon* Pers. idem ac *Pisolithus arenarius* Albert. et Schwein. Et *Scleroderma tinctorium* huc referendum. Alia hujus generis species est *Lycoperdon spadiceum* Schäffer Fung. T. 2. Tab. 189.

Gen. 38. *Tuber*. Berl. Mag. p. 31.

Gen. 39. *Polyangium*. Berl. Mag. p. 40.

Gen. 40. *Endogone*. Berl. Mag. p. 31.

Gen. 41. *Nidularia*. Berl. Mag. p. 32.

Series 7. *Rhantispori*. Firmi. *Sporangium simplex*, *sporidiis intra laticem contentis*.

Gen. 42. *Phallus*. Bot. Mag. p. 33.

Gen. 43. *Clathrus*. Bot. Mag. l. c.

Series 8. *Solidi*. Firmi. *Sporangium intus grumosum aut solidum*, *sporidiis non declaratis*.

Gen. 44. *Aegerita*. Berl. Mag. p. 32.

Gen. 45. *Sclerotium*. Berl. Mag. p. 33.

*Scl. calathiforme*, flavicans, durum, hinc convexum, inde excavatum. In superficie terrae tanta copia et tam subito saepe provenit in Ducatu Megapolitano, ut crediderint semina e coelo delapsa. Interior compages vesiculosa, seminum contextum vesiculosum non male refert. Aestate praesertim pluviosa provenit.

Auriculariam ad Fungos thecigeros juxta Thelaephoram, Xyloma ad Xylarias prope Sphaeriam ob habitum externum collocaverim.

---

#### IV.

#### Lapton femoralis,

eine neue Ichneumonidengattung nebst einigen Bemerkungen über verschiedene unter Ophion Fabr. stehende Ichneumoniden-Arten.

Vom Dr. Nees von Esenbeck zu Sickershausen.

Taf. I. Fig. I. II. a — c.

Das System der Mundtheile bietet, bei einiger Uebung und Genauigkeit in Vergleichung der verschiedenen Abweichungen der Bildung dieser Organe, so viele ansprechende Unterscheidungsmerkmale dar, und deutet zugleich in ihnen, fast ohne Ausnahme, auf gewisse, zuweilen freilich schwer deutlich zu machende Eigenthümlichkeiten einer gemeinsamen Bildung, ähnlicher Lebensweise etc. so sichtlich hin, daß man leicht verleitet werden könnte, diesen Theilen ein unbedingtes Gewicht, als